



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Microsynodus Norinbergen.

Mosham, Ruprecht von

[Köln]

VD16 M 6434

Decanus Pataviensis Lectori, Antinomorum & Lutheranorum errores, [...] &
Antichristianismum illorum, agnoscere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36760



DECANVS PA- TAVIENSIS LECTORI,

Antinomorum & Lutheranorum errores,
ἀντιλογῶν & Antichristianismum
illorum, agnoscere,



Quoniam mihi, pie lector, cōclu-
siones Antinomicas primū
uidere contingeret, uehemē-
ter gaudebam, & me tandē
aliquando nactum existima-
bam, quod tanto studio &
desiderio futurum speraue-
ram, & diu multumq; expe-
ctāram, nempe q̄ Marti-
nus Lutherus poenitentiae & crucis euangelicae ratio-
nem & doctrinam (quam tam grauius suo hyperbo-
lico, nouo & inaudito dogmate offenderat) sanaret,
reuocaret, & unitati ecclesiae Christi restitueret. Sed
posteaquam cōclusiones illas legere atq; relegere coe-
pi, non potui non solum non dolere, sed coactus sum

etiam uehementer admirari, nouam illam & inexpectatam sophisticā. Meminerā Lutheranos & Vitenbergenses semp̄ odio sophisticas persecutos. Nunc inuertere omnia, & transfugere à claritate & puritate uerbi & euangelij ad tenebras illas, nebulas, & intricabiles tricas uerborum sane plus q̄ scoticas. Quot modis præstitisset, libere professos fuisse ignorantia & inscitia scripturarum, q̄ tam callida et odibili sophistica errorem obtegere, & cæcos alioquin homines, & à lege præstanda originis uitio abhorrentes, ueluti à salutis æternæ uia abducere, & cōtra cōminationē diuinā errare facere? Dignum sane factū singulari illa deuteronomica maledictione, qua maledicitur q̄ cæcum facit errare in itinere. Hoc igitur isto dolore et nouitatis stupore inductus, atq; adeo correptus, sumpsi calamū, tumultuario quodā studio, ueluti παρρησιας conscripsi consideratiōes & axiomata quedā in illas ipsas tam intricatas & sophisticas sibiq; tot modis pugnātes cōclusiones. Et id quidem gratiā fratris mei IACOBI A MOSHAM, quæ uidebam cum plerisq; multis æqualibus patriæ meæ cōmuni errore huius seculi, sectæ Lutheranae plus in medio addictum, q̄ uis postea à me reuocati, utinā non rursus relapsus, & tandē iterum atq; iterum in uiam

AD LECTOREM.

ueritatis reducendū. Nam hæc mea est functio et uer-
 bi ministerium, ut ego diuina clemētia & gratia con-
 uersus, cōfirmem fratres meos. Errare, humanum est:
 perseverare, non christianū. Neq̄ est lector q̄ expe-
 ctes in illis nostris axiomatibus exactam singularum
 Martinianarū conclusionū oppugnationē & confuta-
 tionē. Hoc obiter agere uolui & planū facere, Mar-
 tinum Luth. suosq̄; sectatores discrimen legis fidei &
 operū nō animaduertisse, multoq̄; minus docuisse, ma-
 gna profecto & incredibili christifidelium iactura. Il-
 lius itaq̄; insignis inscitiae præclarū specimen & do-
 cumentū exhibuit hic Martinus, ne ullo quidē uerbo
 ullam differentiā inter legē fidei, inter legē euange-
 lij & Christi, inter legē spiritus uitæ, & inter legem
 operū, carnis & mortis constituēs, sed hyperbolice &
 monstrifice, absq̄; ulla distinctione & differētia ex-
 clamās: Quantū cælum à terra distat, tantum debet
 lex à iustificatione separari. Et lex non est utilis, neq̄;
 necessaria, neq̄; ad iustificationem, neq̄; ad ulla bona
 opera, multo minus ad salutē. Et tamen interim pul-
 chre & fortiter uidetur sibi oppugnare Antinomos,
 hoc est, sese ipsum, suamq̄; doctrinā plus q̄; antinomi-
 cam prodit atq̄; manifestat. Vale, lege & perpende.
 Ex Colonia Agrippina XXV. Maij. 1540